

cui facta fuit nunciatio ædificare etiam nulla præstita satisfactione: ita Paul. de Castr. in *dist. leg. 1. §. Nunc videamus. ff. de Nov. oper. nunc.*

Ex quibus magistraliter & resolutivè collige, quòd causa non debet necessariò exprimi in denunciatione; tamen tenetur nuntiator se offerre probare jus vel causam suæ denunciationis, secundùm Salyc. in *dist. leg. unic. Cod. de Operis novi nunciacione.* Item, quòd si causa petatur exprimi ab eo cui denunciatur, debet exprimi & declarari, ut est Glos. in *dist. leg. 1. in verb. Denunciationem,* & ibi Bart. & communiter DD. Item, quòd si exprimatur causa quæ ipso jure sit nulla vel reprobata, per quam constet non esse jus nuntiandi, statim potest spèrni, & potest ædificium continuari, secundùm Bartol. & omnes in *dist. leg. 1. column. 2.* ut dictum est. Nec huic sententiæ & conclusioni obstat text. cum pluribus ibi positus, in *leg. 1. versic. fin. Cod. de Rei uxor. act.* ubi habetur, quòd solèmnitas quæ non requiritur in actu, si interveniat & minus aptè, non vitiat actum: Quia intelligitur, quando lex ex certa scientia & casu certo fingit eam. Nec obstat si replices de Glos. singulari & communi opinione in *§. 1. Instir. de Obligat. versic. in gloss. fin. in fin.* ubi sententia lata super inepta actione est nulla: Quia debet intelligi quando ex facto ineptè & falsè narrato non resultat competens actio: & ita debet intelligi Glos. singularis ordinaria & communis opinio in *leg. Vinum. ff. Si cert. per.* ubi ineptitudo actionis non vitiat libellum & processum.

Quartum remedium & notabile est; quandò ex denunciatione & cessatione operis sequeretur maximum & grave damnum ipsi ædificantibus, & modicum vel parvum præjudicium ipsi nuntiantibus: nam tunc poterit ædificare præstita satisfactione, & postea apparebit & pronuntiabitur, an justè vel injustè ædificaverit? argumento text. in *leg. de Pupillo. §. Si quis rivos, vers. Præterea. ff. de Novi oper. nunc.* ubi habetur, quòd generaliter potest spèrni nunciatio, quando mora in ædificando esset allatura maximum damnum seu periculum: & licet ille textus loquatur in damno vel periculo, quod contigerit ipsi reipublicæ, non verò alicui privato; ut si quis velit reficere vel purgare rivos, aut cloacas, vel similes res: tamen argumento illius textus idem erit in alio gravi damno particulari & privato. Pro quo etiam facit bonus text. & notabilis in *leg. 1. §. Sunt autem qui putant. ff. Ne quid in flumin. public. ubi habetur, quòd semper maxima utilitas privatæ personæ præferatur modicæ utilitati publicæ: ergo à fortiori, hic magna utilitas privata ædificantis debet præferri modicæ utilitati alterius personæ privatæ, scilicet*

denuntiantis: & ex ista consideratione istam conclusionem & remedium ponit Bartol. in *dist. leg. de Pupillo, §. Si quis rivos in fin. numer. 5.* & ibi notat Angel. de Perus. qui ponit quotidianum exemplum, scilicet, quando quis ædificaret molendinum in aliquo flumine tempore æstivo: nam si virtute denunciationis cessaret opus, posset venire pluvia vel tempus hyemale, & non posset ædificare, & perderet omnia materialia quæ causa ædificii erant parata: & tenet & commendat ibi Paul. in *fin. num. 5.* Cuman. ibi, in *fin.* dicens hoc esse valdè notabile in materia: idem etiam tenet Bartol. uno verbo, in *leg. Prætor ait. §. Si quis paratus, 1. column. post princ. eodem titul.* & ibi Angel. tenet etiam & commendat Jas. in *leg. 1. eod. titul. 2. column. versic. Tertio notabiliter limita.*

Juxta prædicta tamen utiliter & necessariò quæro: si nuntiator expressit causam vel causas impertinentes & injustas, & postea in persecutione vult proponere & prosequi aliam vel alias causas justas, an possit? Et videtur quòd sic, sicut in appellatione: argumento text. in *leg. Scio, versic. fin. ff. de Appellat.* ubi habetur, quòd si appellans allegavit unam causam contra sententiam potest ab ea discedere, & aliam allegare, vel aliam accumulare: & ad hoc notat & commendat ibi Bartol. Angel. & communiter DD. & in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Roman. in *dist. leg. 1. ff. de Novi oper. nunc. 4. column. num. 16.* Sed his non obstantibus, contrarium videtur tenendum, imò, quòd nuntiator aliam non possit exprimere nec proponere: quia licet nunciacionem suam fundet ex una causa; tamen omne jus suum videtur deduxisse in judicio; sicut in eo qui intentat actionem realem ex una causa, unde postea non potest ex alia agere, argumento text. in *leg. 1. & an eadem. §. Adiones. ff. de Except. rei jud.* & isto fundamento & consideratione istam sententiam & conclusionem tenet Bart. in *leg. 1. de Oper. novi nunc. 4. colum. §. 9. n. 18.* & cum eo transeunt ibi communiter DD. & expressè approbat & sequitur ibi Jas. 7. *column. n. 12. versic. in 10. quest.* Bart. Sed certè in hac quæstione mihi videtur, quòd nuntiator possit exprimere aliam causam, & primam nunciacionem ex ea fortificare, dum tamen terminetur durante lite primæ causæ propositæ: lata verò sententia super prima causa, quæ transivit in rem judicatam, non possit aliam de novo exprimere: & ita concordantur opiniones.

Item adde, quòd interdictum prohibitorium, hoc est, facultas ipsa denunciandi novum opus, postquam ædificium inchoatum est durat perpetuò, hoc est, quòd nullo tempore præscri-

bitur interim quòd ædificium non est consummatum, sed durat per tempus quo durat ipsum opus: ita probat textus secundùm unam lectionem, in *leg. Prætor ait. §. Hoc interdictum. ff. de Novi oper. nunc.* cujus verba sunt: *Hoc interdictum perpetuo datur, &c.* & ita tenet & exponit ibi Glos. ordinaria in 2. *lectur.* & ibi Bart. post princ. Et ratio hujus potest esse: quia ista denunciatio novi operis competit per modum cujusdam facultatis; ergo sit impræscriptibilis, sicut facultas eundi per viam publicam: argumento text. in *leg. 1. ff. de Via publ. & in leg. Cum notissimi. §. Illud de præscr. 30. vel 40. ann.* Nec obstat quòd nunciatio novi operis quæ fit autoritate Judicis, fit Judicis officio, ut in *leg. de Pupillo. §. Meminisse. ff. de Novi oper. nunc.* quod videtur tolli per 30. annos, juxta doctrinam Glossæ singularis per text. ibi in *leg. Sicut in rem, Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor. in verb. Persecutione,* quam ibi communiter sequuntur DD. Quia illa Glos. & communis doctrina procedit & debet intelligi, quando officium judicis competit pro aliquò jure jam formato de præterito, vel cujus causa esset aliquod præteritum; sed in nostro casu & materia istud officium judicis & facultas denunciandi causatur ex timore ne adversarius ædificet, & quia timor semper instat ante perfectum opus & consummatum ædificium, ideo istud judicis officium semper nascitur. Pro quo facit text. notabilis in *leg. 1. §. 1. juncta Glossa & communi opinione, ibi, in verb. nec pluris, infra, uti poss. & argumento eorum quæ notat Bald. in leg. 2. Cod. de Servitut. & aqua 2. col.* Interdictum verò demolitorium, hoc est, interdictum quod proponit actor contra adversarium qui ædificavit post nunciacionem novi operis legitime factam, ut teneatur pati quòd opus destruat, durat perpetuò, hoc est, per 30. annos: text. est secundùm aliam lectionem in *dist. leg. Prætor ait. §. Hoc interdictum,* cujus verba sunt: *Hoc interdictum perpetuò datur;* dicit Glos. 1. *usque ad 30. annos,* & ita tenet & intelligit ibi Bartol. post princ. & communiter DD. ibi: Si verò intentatur hoc interdictum ut adversarius cogatur destruere suis sumptibus & teneatur insuper ad interesse; tunc istud remedium seu interdictum non durat ultra annum, cum contineat in hoc pœnam, cum nihil ad reum adversarium pervenit; & iste annus incipit à die quo inceperit ædificare: iste est casus qui sic debet intelligi in *leg. Prætor ait, §. fin. ff. de Novi oper. nunc.* cujus verba sunt: *Hoc interdictum cessat post annum,* & ibi tenet Bartol. Angel. Paul. & communiter DD. probat etiam text. in *leg. Semper. §. Hoc interdictum. ff. Quod vi aut clam:* facit

Anton. Gomez, ad Legem Tauri.

etiam text. in *leg. penult. & fin. de novi operis nunciacione,* & in specie ita tenet & declarat Alberic. in *leg. unic. Cod. de novi oper. nunc.* Idem Alberic. in *leg. 1. §. Item nunciatio, 2. col. eodem titul. ff. de Novi oper. nunc.* unde si post denunciationem novi operis ædificans supersederit in opere per tres vel plures annos, & postea ædificaverit; benè potest nuntiator contra eum agere, ut opus destruat suis sumptibus: nec excluditur per lapsum anni: quia istud interdictum demolitorium videtur incipere solum à tempore quo est ædificatum contra nunciacionem; ergo ante non incepit currere, quia non fuit apta via agendi: unde non potuit præscribi: argumento text. in *leg. Cum notissimi. §. Illud de præscr. 30. annorum.* Item etiam quia effectus, non potest esse prior sua causa, ut in *leg. Manumissiones, de just. & jure, & in leg. Hujusmodi. ff. Quando dies legat. ced.*

Item adde, quòd denunciatio novi operis, virtus & effectus ejus, & interdictum demolitorium, competens ad hoc ut opus post denunciationem factam destruat, transit ad hæredes universaliter, & similiter ad successores particulares passivè: unde si post denunciationem novi operis ædificium factum continuatum est, & moritur ædicator, hæredes ejus tenentur patientiam præstare ut opus destruat, non tamen sumptibus eorum, quia hoc esset pœna, nec tenentur ad interesse: text. est in *leg. penultim. ff. de Novi oper. nunc.* cujus verba sunt: *Cui opus novum nunciatum est si ante remissionem nunciacionem opere facto decesserit, debet hæres ejus patientiam destruendi operis adversario præstare: nam & in restituendo hujusmodi opere, ejus qui contra adictum fecit, in pœna versatur, porro autem hæres in pœnam non succedit:* facit text. in *leg. Competit, §. 1. ff. Quod vi aut clam.* text. in *leg. Semper eodem titul.* text. juncta Gloss. in *leg. Vim facit. §. Item si prohibiti hæres. eod. titul.* idem est si post nunciacionem fuit factum ædificium, & venditus vel alienatus fuit fundus in aliquem particularem successorem; quia similiter tenetur præstare patientiam ut opus destruat, non tamen tenetur ad impensam vel interesse: text. est in *leg. fin. ff. de Novi oper. nunc.* & ibi Glos. Bart. Bald. Angel. Paul. Rom. Jas. & communiter DD. facit text. in *leg. Competit. §. fin. in fin. ff. Quod vi aut clam,* ubi idem statuitur in interdicto quod vi aut clam. Confirmatur, quia ista nunciatio novi operis est in rem scripta, ut in *dist. leg. de Pupillo. §. Nunciacionem,* & in *leg. Operis eodem titul.* cujus verba sunt: *Operis novi nunciatio in rem fit, non in personam:* text. in *leg. Prætor ait in princip. eod. tit. & idem disponit leg. 6. tit. fin. 3. part.*

qui sic debet intelligi. Adde tamen, quod si ipsemet successor universalis vel particularis edificaret post nunciationem factam ipsi defuncto, venditori, vel auctori suo, quod teneretur opus destruere suis sumptibus. Quod intellige, si fecit sciens; secus si ignorans: ita probat text. in leg. *Vim facit*. §. *Item si prohibiti har.* ff. *Quod vi aut clam*: per quem ita tenet & declarat Bart. in dict. leg. fin. ff. *de Novi oper. nunc.* & ibi alii DD.

41 Item adde, quod istud interdictum de operis novi nunciatione, & effectus ejus datur & competit hæredibus & successoribus universalibus ipsius nuntiantis, & sic transit ad hæredes activæ: text. est in leg. *Prætor ait*. §. *Hoc interdictum*, in princ. ff. *de Novi oper. nunc.* cujus verba sunt: *Hoc interdictum perpetuo datur, & hæredi ceterisque successoribus competit*, text. in §. fin. ejusdem leg. Quod tamen intellige, quando denunciator decessit postquam aliquid erat factum & ædificatum in re post ipsam denunciationem: secus tamen si decessit sola denunciatione facta; quia tunc illud interdictum & virtus ejus non transit ad hæredes: text. est singularis in jure, qui sic debet intelligi, in leg. *Non solum*. §. *Morte in princ.* eodem titul. cujus verba sunt: *Morte ejus qui nuntiavit extinguitur nuntiatio & sic hæres habet necesse iterum ex sua persona de novo nuntiare*, & ad hoc notat ibi Glos. ordinaria, & ad hoc illum textum notat & dicit singularem Bartol. ibi, in princ. Imol. Paul. & communiter DD. ad hoc etiam illum text. notat Rosfred. in libel. suo, in Rub. de Interdict. de novi oper. nunc. fin. column. Ex quo inferitur, quod si post mortem nuntiantis ædificaretur, non potest prædictus hæres agere interdicto demolitorio, ut opus destruat. Secundò inferitur & à fortiori, quod alienato fundo mediante titulo particulari, non transit ad successorem particularem jus prædictæ denunciationis, sed statim esset extincta: ita etiam determinat text. in dict. §. *Mort.* dum dicit, *sicut alienatione*, & ibi tenet Gloss. Bart. & communiter DD. Cujus ratio subtilis est: quia nuntiatio novi operis censetur esse quædam protestatio, quæ in mera & simplici voluntate consistit; unde re integra, finiatur morte, sicut mandatum: argumento text. in leg. *Mandatum*, Cod. *Mandati*, & in leg. fin. ff. *de Sol.* & in leg. *Et quia*. ff. *de Jurisd. omn. jud.* & in §. *Rechtè*, vers. *i.* Instit. man. & istam rationem ponit Gloss. ordinaria in dict. §. *Morte* 1. in gloss. 1. & 1. oppos. & clariùs & expressè ponit ibi Bart. Ang. Imol. Paul. Cuman. & communiter DD. eam etiam ponit Rosfred. in dict. rub. final. column. Quam rationem declaro isto modo: nam cum ipsa voluntas & mens nuntiantis, à qua causatur potentia & facultas nun-

tiandi, finiatur morte, argumento text. in leg. 4. ff. *Locati*, & in leg. *Centesimo*, §. fin. de Verb. oblig. ergo similiter finiatur ipsa nuntiatio vel protestatio quæ ab ea causatur. Advertendum tamen subtiliter: nam videtur quod ista communis ratio non concludat, nec illa decisio text. in dict. §. *Morte*, possit procedere, quia considero, quod licet voluntas finiatur morte, tamen debet intelligi quando non est deducta ad actum: secus verò aliàs, si jam est deducta ad actum, & produxit effectum suum; quia tunc videtur esse transitoria ad hæredes: quod aperte fundatur in additione hæreditatis, quæ consistit in declaratione animi, & tamen postquam est facta declaratio, hæreditas est transitoria: nisi dicas, quod talis additio transit in vim quasi contractus, denunciatio verò non. Ex quo inferitur, quod si quis nuntiasset suo nomine & hæredum suorum, non finiretur morte talis nuntiatio; sicut nec mandatum, cum mandans noluit morte finire: argumento text. in leg. *Si verò non remunerandi*, §. fin. cum leg. sequent. ff. *Mandat.* in leg. *Diem proferre*, §. 1. ff. *de Arbit.* & in leg. *Stipul. ista*. §. *Si quis ita*, cum materia, de verb. oblig. in specie ita tenet & determinat Bart. in dict. §. *Morte*, 1. column. num. 5. Angel. 1. column. in princ. Imol. 1. column. in princ. Paul. in princ. Cuman. in princ. Jas. 2. column. num. 20.

TEXT. XLVII.

EL hijo, ò hija casado velado, sea habido por emancipado an todas las cosas para siempre.

Id est:

Filius, aut filia, matrimonio junctus cum Ecclesiastica solemnitate, habeatur in omnibus rebus in perpetuum emancipatus.

COMMENTARIUM

In Legem XLVII.

SUMMARIUM.

- 1 *Filius de jure communi semper est in potestate patris.*
- 2 *Hodie per contractum matrimonii liberatur filius à patria potestate, & an hoc intelligatur inter sponso?*
- 3 *An filius post contractum matrimonii efficiatur sui juris quoad omnes effectus?*

NOta ex ista lege, quod hodiè in nostro regno per contractum matrimonii filius vel filia eximitur à potestate paterna, & efficitur sui juris. (d) Pro cujus perfecta intelligentia & declaratione dico, quod regulariter de jure quilibet filius vel filia, nepos vel descendens est in potestate patris: text. est in leg. *Item in potestate*. ff. *de His qui sunt sui vel alieni*; text. in leg. *Nam civium*, eodem titul. text. in leg. 1. & per totum, Cod. *de Patria potest.* text. in §. 1. Instit. eodem titul. text. in leg. 1. & per totum titul. 17. part. 4. Et in tantum hoc est verum, ut procedat & habeat locum etiam post contractum matrimonium; quia de jure communi non liberatur ab ista patria potestate: text. est in leg. *Filia licet*. Cod. *de Collat.* text. in leg. *Si uxor*. Cod. *de Condit. inser.* text. in leg. 1. §. fin. ff. *de Liber. exhibend.* text. in leg. 4. ff. *de His qui sunt sui vel alieni juris, cum similibus*. (e) Item etiam in tantum est verum, ut procedat licet filius sit senex & longævæ ætatis: Glossa est singularis & ordinaria in leg. fin. §. *Pupillus*. ff. *de Verb. oblig.* in gloss. 1. & ibi communiter DD. (f) Item etiam, licet sit miles, vel Doc-

tor: text. in leg. *Si maritus*, Cod. *de Patria potest.* & ibi Bald. & communiter DD. text. in leg. 1. Cod. *de Bonis qua liber.* text. in leg. 2. eodem titul.

Hodiè tamen in nostro regno contrarium determinat nostra lex: imò quod per contractum matrimonii filius vel filia habeatur pro emancipato. (h) Et adde, quod licet aliàs de jure matrimonium dicatur solo consensu, absque alia solemnitate nuptiarum, & sic inter sponso de præsentem: text. est in regul. nuptias. ff. *de Regul. jur.* text. in leg. *Cum fuerit*. ff. *de Con. & demonstr.* text. in leg. *Cum hic status*. §. *Si mulier*. ff. *de Donat. inter vir. & uxor*. text. in leg. fin. Cod. *de Divor.* text. in Authent. *de nuptiis*. §. *Nuptias*, collat. 4. text. in leg. *Sancimus*, la 1. Cod. *de Nuptiis*, text. in cap. *Conjuges*, caus. 27. quest. 2. text. in cap. *penult. de Sponsalib.* text. in cap. fin. *de Spons. duor.* Ex quo primò deducitur & inferitur, quod reciproca successio ab intestato, quæ habet locum inter conjuges per totum titulum, ff. & Cod. *Unde vir. & uxor*. habet etiam locum inter sponso de præsentem. Secundò deducitur & inferitur, quod donatio pura & simplex, quæ

(d) Quod & si matrimonium nullum sit, procedere affirmat Azeved. in leg. 8. titul. 1. lib. 5. Recop. num. 11. Cifuent. in hac leg. in fine ejus. Et utrum per matrimonium spirituale sicut per carnale liberetur filius à patris potestate? vide per Abbatem in cap. *Constitutus*, de in integrum restit. num. 3. & in cap. *Decorum*, de arate & qualitate, & in cap. *Cum voluntate de sententia excommunicatione*. Boër. decis. 121. num. 12. Greg. in leg. 1. verb. *Por Obispo*, titul. 18. part. 4. per Jas. in leg. *Parre furioso*, 1. col. fin. & Orosco. num. 11. de *His qui sunt sui vel alieni juris*, Perez in leg. 1. titul. 3. lib. 1. Ord. column. 112. in fin. Covar. in cap. *Quia nos*, n. 1. & 2. de *Testam.* ubi, licet per sacerdotium non liberetur filius à patris potestate, ejus tamen bona, sive habita militiæ clericali occasione, sive quolibet alio titulo, ususfructus perceptione, quæ aliàs patri competeabat, liberari asserit: & vide Azeved. ubi supra, quia latiùs hanc materiam prosequitur.

(e) Item tenet Suar. in leg. fin. titul. 11. lib. 1. *Fori in princip.* fol. 73. & 74. Tiraquell. in leg. 1. *Connubiali*, num. 1. cum sequ. Gregor. in leg. 5. titul. 5. part. 6. gloss. magna.

(f) Idem etiam tenent DD. supra allegati ibi: *Post contractum matrimonii*: Azeved. in dict. leg. 8. titul. 1. lib. 5. Recopil. num. 10. idem Azeved. in leg. 9. titul. 1. lib. 5. num. 7. Pinell. in leg. 1. 2. part. num. 34. Cod. *de Bonis maternis*.

(g) Idem esse circa Franciæ constitutiones refert Nicol. Boër. in *Consuetudinibus Bituricensib.* titul. 1. §. 4. column. 2. & titul. *de Consuetudine matrimonii*, §. 2. column. 5. Tiraquell. in leg. 1. *Connubiali*. num. 3. & seq. Covar. *de Sponsalib.* lib. 2. part. cap. §. 1. num. 3. Matienz. in leg. 8. titul. 1. lib. 3. Recopilat. gloss. 2. num. 3. Quod usque aded verum est, ut etiam mortua uxore non reincidat talis filius iterum in patris potestatem; quia qui semel liberatus est à patria potestate, in eam non reincidit: text. in leg. *Qui liberatus*. ff. *de Adoptionib.* Quod locum habet, etiam causa ob quam fuit liberatus cessante: Glossa in Authent. *constitutio*, quæ de dignitatibus, verb. *Generaliter*, collat. 6. & in leg. fin. ubi etiam Joan. de Plat. Cod. *de Consulibus* lib. 12. & id in specie tenet Castill. hic gloss. ult. Gomez Arias, in leg. 45. num. 34. & 49. fuitque opinio Guillel. de Cumis in leg. *Si maritus*, Cod. *de Inoffic.* & latè disserit Tiraquell. de leg. *Connubiali*. gloss. 1. q. 4. consequent. leg. Matienz. in dict. leg. 8. titul. 1. lib. 5. gloss. ult. in fin. & in leg. 7. tit. 11. gloss. num. 38. lib. 5. Sed an per contractum matrimonii liberetur à curatoris potestate, sicut à patria potestate liberatur? tradit latè Paul. de Castr. in leg. 2. Cod. *Si sepius in integrum restitutio fuerit postulata*, Greg. in leg. 3. verb. *Facta titul.* 15. part. 2. Suar. in leg. 4. titul. 11. column. 9. lib. 1. *Fori*. Abb. consil. 9. volum. 1. & latissimè alios referens Azeved. in leg. 8. tit. 3. lib. 5. num. 47.